
PALAESTRA




1936 N. 9

INDEX RERUM:

IN TEGUMENTO: THOMAS MORUS.

Natus est Morus Londinii die 7 Februarii 1478, inque scholis eximia castae latinitatis scientia ac mira versuum pangendorum facultate excelluit. Iurisprudentiae vacavit in studio Oxoniensi, ubi et linguae Graecae ac litteris antiquis impensam dedit operam; praeterea continuavit studia rhetorica et philosophica Londinii, Lovanii, Parisiis. Excellentis indolis iuvenem Ioannes Morton, archiepiscopus Cantuariensis, inter suos arcessivit, in cuius aula cum clarissimis studiorum humaniorum sospitatoribus congressum habuit. Post conubium cum Ioanna Colt aetatis suae anno 26 initum iudicis officia subiit, quo tantum sibi omnium cociliavit favorem, ut brevi rex Henricus VIII maiora negotia tractanda ipsi committeret. Interim studiis litterariis strenuam navavit operam: praeter insigne epistularum commercium cum Erasmo Rotterodamo, edidit anno 1516 fabulam romanensem, cui inscripsit *Utopia* (a graeco οὐ τόπος i. e. nullibi), in qua idealem civitatis statum ac cultum, diversum tamen a Platonico, delineavit: quae fabula in clarissimis litteraturae operibus ponitur. Brevi post edidit versionem *dialogorum Lucianeorum* et *Epigrammata.* Quibus opera adiunxit historica, ut *Historiam Ricardi III, regis Angliae,* et *Historiam Eduardi V*, et theologica ut *Responsionem ad convicia Martini Lutheri, Expositionem passionis Christi, Quod pro fide mors fugienda non sit* etc. Dicta factis comprobavit: magnus enim regni cancellarius a. 1529 creatus, anno 1532 munus abdicavit, cum Henrici VIII regis consilia ac facta minime probaret religionisque novatores impugnaret. Hanc ob rem in iudicium convocatus, capite damnatus est martyriique palmam die 6 Iulii 1535 accepit.



DE s. THOMA MORO MARTYRE

(Acta Apostolicae Sedis XXVIII 1935 num. 3 p. 88 sqq.)

Thomas More anno 1478 natus, vivido amoenoque ingenio praeditus, latini graecique sermonis studiosissimus, Oxonii bonis artibus, Londinii iuridicis disciplinis cum laude eximiae ac singularis doctrinae incubuit. Cardinali Morton, Cantuariensi Archiepiscopo et Regni Cancellario, adolescens Thomas, quem ille inter suos familiares adnumeratum voluit, magna portendere visus est, ut passim dictitabat.

In foro celebrando, ab avaritia omnino alienus, suavissimae caritatis et integerrimae iustitiae iura mire componebat. Religionis catholicae studio incensus, philosophiae et theologiae operam dedit, in eisque adeo profecit, ut divinorum quoque scien-

tia praecelleret, uti eius scripta comprobant. Etsi plurimis negotiis publicisque muniis distentus, canonicas horas quotidie recitabat, sacrisque adstare, immo et eorum participem esse, omnium spreto respectu, in deliciis habebat.

Cilicium numquam dimisit, aliisque paenitentiis carnem excruciabat — uno verbo, nulla erat virtus, pientissimo christifideli digna, quae in eo non emineret. Ioannam Colt duxit in uxorem, a qua tres filias, unum autem filium suscepit. Hac mature demortua, Aliciam Middleton, viduam, matrimonio sibi copulavit, quae orphanorum curam gereret. Interim publicis gravibus muneribus est auctus. Nondum tricennis in Regni concionem adscitus fuit, dein apud Belgas orator missus, arcani regii consilii particeps, Magnus denique Angliae Cancellarius maxima totius regni laetitia renuntiatus. Quibus muneribus mira abstinentia, iustitia, aequitate, bonorum omnium gratulatione functus est.

Quum impio Regis placito fideliter fortiterque restitisset, eius iram incurrit, quae in mortale odium exarsit, quando Thomas eum supremum anglicanae Ecclesiae caput noluit agnoscere.

Dimisso Cancellarii officio, intra domesticos parietes ad orationes, spiritualia colloquia sacramque lectionem iugiter animum attendebat, ad supremum, quod praevidebat, luctamen se comparans.

In iudicium, quasi libellum contra Regis di-

vortium scripsisset, accitus, accusationem quidem uti falsam a se reppulit, candide tamen catholicam fidem professus. In carcerem coniectus, iterum iudicio suppositus, quum constanter in fide catholica perstitisset, die I Iulii anno 1535 atrocissime damnatus est morti, quam sententiam laeto gratoque animo acceptavit, iniquis iudicibus sortem sanctorum Stephani et Pauli adprecans, ut quemadmodum Paulus, olim Stephani persecutor, modo eius consors in gloria, ita se Deum pro eis deprecaturum promisit, ut sui consortes futuri essent in caelesti regno. Non lacrimae suorum, non Regis administrorum consilia Thomae constantiam vel minimum labefactare valuerunt. Die 6 Iulii eodem anno, octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, ad subeundum supplicium ductus, veluti ad festum properans, dominicam passionem recolens, coram frequenti populo se in Ecclesia et pro fide catholica, Deo Regique fidelem mori professus, gratos sui animi sensus carnifici depromens eumque amplexans, patibulum animose conscendit. „Accessit ad eum carnifex — scribit Sanderus — et caput iustitiae, caritatis et virtutis amputavit, ingemiscente Anglia universa et non tam Christi martyrem, quam seipsam capite truncatam arbitrante“ (Rom. 1586, p. 137).

Cultum Ioanni Cardinali Fisher et Thomae More post eorum mortem iampridem exhibitum Leo XIII, adiectis aliis quinquaginta duobus in ea per-

secutione martyribus per Sacram Rituum Congregationem decretum sub die 29 Decembris mensis anno 1886 confirmavit, Beatisque eos accensuit.

Adventante vero iam ab eorum glorioso martyrio quatercentesimo anno, mira consensione et praegrandi numero, insignes dignitate viri S. R. E. Cardinales, praecipue Cardinalis Franciscus Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis, quem nuper e vivis ereptum omnes comploramus, Archiepiscopi et Episcopi omnes Angliae, Scotiae, Hiberniae cum suo quisque populo, plurimique alii totius Orbis sacrorum Antistites, Studiorum Universitates, Venerabile Anglorum Collegium et S. Bedae de Urbe innumerique alii, quos inter et acatholici, ut ad Canonizationis honores duo hi fortissimi martyres elevarentur, suppliciter postularunt.

Beatissimus Pater vota haec benigne ex corde excipiens, Sacrae huic Congregationi mandavit, ut ad severam trutinam acta martyrii horum duorum pugilum cribrarentur; de quo in causa de cultus confirmatione pertractanda, peculiaris quaestio, utpote in casu tunc temporis lege non requisita, habita non fuerat. Sacrae Rituum Congregationis Historica Sectio huic muneri plene satisfecit, summi momenti documenta colligendo, suoque suffragio illustrando, quibus martyrium tum materiale cum formale seu ex parte utriusque victimae, seu ex parte iudicum et Regis, qui eos morte damnarunt, evidentissime comprobatur.

Alteri vero ex Consultoribus munus fuit demandatum praecipuas colligendi sententias a scriptoribus seu recentioris praesertim aetatis, de nostris prolatas martyribus, ut pateat quo iam nunc consensu admirentur historici utriusque herois et praeclaram vitam et mortis triumphum.

His omnibus comparatis, die 29 proxime elapsi mensis in Generali Congregatione, cui Sanctissimus D. N. Pius Papa XI praefuit, Reverendissimus Cardinalis Raphael Carolus Rossi, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit disceptandum: *An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis post indultam supradictis Beatis venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.* Quotquot aderant Reverendissimi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suum quisque tulere suffragium, quod Beatissimus Pater attente excepit, iudicium vero suum hac die decrevit pandendum 10 Februari anno 1935, Dominica V post Epiphaniam, maioris luminis copiam in re tanti momenti interim a Deo adprecaturus.

Eapropter Reverendissimos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum, et Raphaelem Carolum Rossi, Causae Ponentem, nec non R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium arcessiri iussit, sacroque religiosissime litato edixit: *Ita evidenter*

constare de martyrio et causa martyrii Beatorum Ioannis Cardinalis Fisher et Thomae More, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, procedi possit ad ulteriora. A. CARINCI, secretarius.

THOMAE MORI UTOPIA

RAPHAELIS HYTHLODEI SERMO

de optimo rei publicae statu
per Thomam Morum liber secundus.

Utopiensium insula in media sua parte (nam hac latissima est) milia passum ducenta porrigitur magnumque per insulae spatium non multo angustior fines versus paulatim utrimque tenuatur. Hi velut circumducti circino quingentorum ambitu milium insulam totam in lunae speciem renascentis effigiant; cuius cornua fretum interfluens milibus passuum plus minus undecim dirimit ac per ingens inane diffusum circumiectu undique terrae prohibitis ventis vasti in morem lacus stagnans magis quam saeviens omnem prope eius terrae alvum pro portu facit magnoque hominum usu naves quaqua versus transmittit. Fauces hinc vadis, inde saxis formidolosae. In medio ferme interstitio una rupes eminet eaque innoxia, cui inaedificatam turrim praesidio tenent; ceterae latentes et insidiosae. Canales solis

ipsis noti; atque ideo non temere accidit, uti exterus quisquam hunc in sinum nisi Utopiano duce penetret, ut in quem vix ipsis tutus ingressus est nisi signis quibusdam e litore viam regentibus. His in diversa translatis loca hostium quamlibet numerosam classem facile in perniciem traherent.

Ab altera parte non infrequentes portus. At nusquam descensus in terram non ita natura munitus aut arte, quin ingentes copiae paucis inde queant propugnatoribus arceri. Ceterum, uti fertur utique ipsa loci facies prae se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari. Sed Utopus, cuius utpote victoris nomen refert insula (nam ante id temporis Abraxa dicebatur) quique rudem atque agrestem turbam ad id, quo nunc ceteros prope mortales antecellit, cultus humanitatisque produxit, primo protinus appulsu victoria potitus passuum milia quindecim, qua parte tellus continenti adhaesit, exscindendum curavit ac mare circum terram duxit. Cumque ad id operis non incolas modo coegisset, ne contumeliae loco laborem ducerent, sed suos praeterea milites omnes adiungeret, in tantam hominum multitudinem opere distributo, incredibili celeritate res perfecta finitimos, qui initio vanitatem incepti riserant, admiratione successus ac terrore perculerit.

Insula civitates habet quattuor et quinquaginta, spatiosas omnes et magnificas, lingua, moribus, institutis, legibus prorsus iisdem: idem situs omnium

eadem ubique, quatenus per locum licet, rerum facies. Harum quae proximae inter se sunt milia quattuor ac viginti separant. Nulla rursus est tam deserta, e qua non ad aliam urbem pedibus queat unius itinere diei perveniri. Cives quaque ex urbe terni senes ac rerum periti tractatum de rebus insulae communibus quotannis conveniunt Amaurotum. Nam ea urbs, quod tanquam in umbilico terrae sita maxime iacet omnium partium legatis opportuna, prima princepsque habetur.

Agri ita commode civitatibus adsignati sunt, ut ab nulla parte minus soli quam duodecim passuum milia una quaevis habeat, ab aliqua multo etiam amplius, videlicet qua parte longius urbes inter se disiunguntur. Nulli urbi cupido promovendorum finium; quippe quos habent agricolas magis eorum se quam dominos putant. Habent ruri per omnes agros commode dispositas rusticis instrumentis instructas: hae habitantur civibus per vices eo commigrantibus. Nulla familia rustica in viris mulieribusque pauciores habet quam quadraginta praeter duos ascripticios servos; quibus pater materque familias graves ac maturi praeficiuntur et singulis tricenis familiis phylarchus unus. E quaque familia viginti quotannis in urbem remigrant: hi qui biennium ruri complevere. In horum locum totidem recentes ex urbe surrogantur, ut ab his, qui annum ibi fuere atque ideo rusticarum peritiores re-



Utopia insula, ad quam Hythlodaeus, expeditionis dux, pervenit.

rum, instituantur alios anno sequente docturi, ne, si pariter omnes ibi novi agricolationisque rudes essent, aliquid in annona per imperitiam peccaretur. Is innovandorum agricolarum mos etsi sollemnis sit, ne quisquam invitus asperiorem vitam cogatur continuare diutius, multi tamen, quos rusticae rei studium natura delectat, plures sibi annos impetrant.

Agricolae terram colunt, nutriunt animalia, ligna comparant atque in urbem, qua commodum est, terra marive convehunt. Pullorum infinitam educant multitudinem mirabili artificio. Neque enim incubant ova gallinae; sed magnum eorum numerum calore quodam aequabili foventes animant educantque. Hi simulatque e testa prodiere, homines vice matrum comitantur et agnoscunt. Equos alunt perquam paucos nec nisi ferocientes neque alium in usum quam exercendae rebus equestribus iuventuti. Nam omnem seu colendi seu vehendi laborem boves obeunt; quos ut fatentur equis impetu cedere, sic patientia vincere nec tot obnoxios morbis putant, ad haec minore impendio et operae et sumptus ali ac denique laboribus emeritos in cibum tandem usui esse.

Semente in solum panem utuntur. Nam aut uvarum vinum bibunt aut pomorum pirorumve aut denique aquam nonnunquam meram, saepe etiam qua mel aut glycyrrizam incoxerint, cuius haud exiguam habent copiam. Cum exploratum habeant (ha-

bent enim certissimum), quantum annonae consumat urbs et circumiectus urbi conventus, tamen multo amplius et sementis faciunt, et pecudum educant, quam quod in suos sufficiat, reliquum impartituri finitimis. Quibuscumque rebus opus est, quae res ruri non habentur, eam supellectilem omnem ab urbe petunt et sine ulla rerum commutatione a magistratibus urbanis nullo negotio consequuntur. Nam illi singulo quoque mense plerique ad festum diem conveniunt. Cum frumentandi dies instat, magistratibus urbanis agricolarum phylarchi denuntiant, quantum civium numerum ad se mitti conveniat; quae multitudo frumentatorum cum ad ipsum diem opportune adsit, uno prope sereno die tota frumentatione defunguntur.

De artificiis.

Ars una est omnibus viris mulieribusque promiscua: agricultura, cuius nemo est expers. Hac a pueritia erudiuntur omnes partim in schola traditis praeceptis, partim in agros viciniores urbi quasi per ludum educti, non intuentes modo, sed per excercitandi corporis occasionem tractantes etiam. Praeter agriculturam, quae est omnibus, ut dixi, communis, quilibet unam quampiam tanquam suam docetur; ea est fere aut lanificium aut operandi lini studium aut caementariorum aut fabri seu ferrarii seu materiarii artificium. Neque enim aliud est opificium ullum,

quod numerum aliquem dictu dignum occupet illic. Nam vestes, quarum, nisi quod habitu sexus discernitur et caelibatus a coniugio, una per totam insulam forma est eademque per omne aevum perpetua nec ad oculum indecora et ad corporis motum habilis, tum ad frigoris aestusque rationem apposita, eas, inquam, quaeque sibi familia conficit. Sed ex aliis illis artibus unusquisque aliquam discit, nec viri modo, sed mulieres etiam; ceterum hae velut imbeciliores leviora tractant: lanam fere linumque operantur; viris artes reliquae magis laboriosae mandantur. Maxima ex parte quisque in patris artibus educatur: nam eo plerique natura feruntur. Quodsi quem animus alio trahat, in eius opificii, cuius capitur studio, familiam quampiam adoptione traducitur cura non a patre modo eius, sed magistratibus etiam praestita, ut gravi atque honesto patrifamilias mancipetur. Quin, si quis unam perdoctus artem aliam praeterea cupiverit, eodem modo permittitur. Utramque nactus utram velit exercet, nisi alterutra civitas magis egeat.

Syphograntorum praecipuum ac prope unicum negotium est curare ac prospicere, ne quisquam desideat otiosus, sed uti suae quisque arti sedulo incumbat nec ab summo mane tamen ad multam usque noctem perpetuo labore velut iumenta fatigatus. Nam ea plus quam servilis aerumna est; quae tamen ubique fere opificum vita est exceptis Uto-

piensibus, qui, cum in horas viginti quattuor aequales diem connumerata nocte dividant, sex dumtaxat operi deputant: tres ante meridiem, a quibus prandium ineunt; atque a prandio duas postmeridianas horas cum interquierint, tres deinde rursus labori datas cena claudunt. Cum primam horam a meridie numerent, sub octavam cubitum eunt; horas octo somnus vindicat.

Quidquid inter operis horas ac somni cibique medium esset, id suo cuiusque arbitrio permittitur, non quo per luxum aut segnitiem abutatur, sed quod ab opificio suo liberum ex animi sententia in aliud quippiam studii bene conlocet. Has intercapedines plerique impendunt litteris. Solemne est enim publicas cottidie lectiones haberi antelucanis horis, quibus ut intersint, ii dumtaxat adiguntur, qui ad litteras nominatim selecti sunt; ceterum ex omni ordine, mares simul ac feminae, multitudo maxima ad audiendas lectiones alii alias, prout cuiusque fert natura, confluit. Hoc ipsum tempus tamen si quis arti suae malit insumere, quod multis usu venit, quorum animus in nullius contemplatione disciplinae consurgit, haud prohibetur, quin laudatur quoque ut utilis rei publicae. Super cenam tum unam horam ludendo producunt, aestate in hortis, hieme in aulis illis communibus, in quibus comedunt. Ibi aut musicen exercent aut se sermone recreant. Aleam atque id genus ineptos ac perniciosos ludos ne cognoscunt

quidem; ceterum duos habent in usu ludos latrunculorum ludo non dissimiles: alterum numerorum pugnam, in qua numerus numerum praedatur, alterum in quo conlata acie cum virtutibus vitia confligunt. Quo in ludo perquam scite ostenditur et vitiorum inter se dissidium et adversus virtutes concordia, item quae vitia quibus se virtutibus opponant, quibus viribus aperte oppugnent, quibus machinamentis ab obliquo adoriantur, quo praesidio virtutes vitiorum vires infringant, quibus artibus eorum conatus eludant, quibus denique modis alterutra pars victoriae compos fiat.

Sed hoc loco, ne quid erretis, quiddam pressius intuendum est. Etenim quod sex dumtaxat horas in opere sunt, fieri fortasse potest, ut inopiam aliquam putes necessariarum rerum sequi. Quod tam longe abest, ut accidat, ut id temporis ad omnium rerum copiam, quae quidem ad vitae vel necessitatem requirantur vel commoditatem, non sufficiat modo, sed supersit etiam; id quod vos quoque intelligetis, si vobiscum reputetis, apud alias gentes quam magna populi pars iners degit: primum mulieres fere omnes, totius summae dimidium, aut sicubi mulieres negotiosae sunt, ibi, ut plurimum, earum vice viri stertunt; ad haec sacerdotum ac religiosorum quos vocant quanta quamque otiosa turba; adice divites omnes, maxime praediorum dominos, quos vulgo generosos appellant ac nobiles; his adnumera ipso-

rum famulicium, totam videlicet illam castratorum nebulonum conluviem; robustos denique ac valentes mendicos adiunge morbum quempiam praetexentes inertiae: multo certe pauciores esse, quam putaras, invenies eos, quorum labore constant haec omnia, quibus mortales utuntur. Expende nunc tecum ex his ipsis, quam pauci in necessariis opificiis versantur, siquidem, ubi omnia pecuniis metimur, multas artes necesse est exerceri inanes prorsus ac superfluas, luxus tantum ac libidinis ministras. Nam haec ipsa multitudo, quae nunc operatur, si partiretur in tam paucas artes, quam paucas commodus naturae usus postulat, in tanta rerum abundantia, quantam nunc esse necesse sit, pretia nimirum viliora forent, quam ut artifices inde vitam tueri suam possent. At si isti omnes, quos nunc inertes artes distringunt, ac tota insuper otio ac desidia languescens turba, quorum unus quivis earum, quae aliorum laboribus suppeditantur, quantum duo earundem operatores consumit, in opera universi atque eadem utilia conlocarentur, facile animadvertis, quantulum temporis ad suppeditanda omnia, quae vel necessitatis ratio vel commoditatis efflagitet, (adde voluptatis etiam, quae quidem vera sit ac naturalis) abunde satis superque foret; atque id ipsum in Utopia res ipsa perspicuum facit. Nam illic in tota urbe cum adiacente vicinia vix homines quingenti ex omni virorum ac mulierum numero, quorum aetas ac

robur operi sufficit, vacatio permittitur. In his syphogranti, quamquam leges eos labore solverunt, ipsi tamen sese non eximunt, quo facilius exemplo suo reliquos ad labores invitent. Eadem immunitate gaudent hi, quos commendatione sacerdotum persuasus populus occultis syphograntorum suffragiis ad perdiscendas disciplinas perpetuam vacationem indulget. Quorum si quis conceptam de se spem fefellerit, ad opifices retruditur; contraque non rarenter usu venit, ut mechanicus quispiam subcisivas illas horas tam naviter impendat litteris, tantum diligentia proficiat, ut opificio suo exemptus in litteratorum classem provehatur. Ex hoc litteratorum ordine legati, sacerdotes, tranibori, atque ipse denique deligitur princeps, quem illi prisca ipsorum lingua *barzanem*, recentiore *ademum* appellant. Reliqua fere multitudo omnis cum neque otiosa sit nec inutilibus opificiis occupata, proclivis aestimatio est, quam paucae horae quantum boni operis pariant.

Ad ea quae commemoravi hoc praeterea facilitatis accedit, quod in necessariis plerisque artibus minore opera quam aliae gentes opus habent. Nam primum aedificiorum aut structura aut refectio ideo tam multorum assiduam ubique requirit operam, quod quae pater aedificavit heres parum frugi paulatim delabi sinit: ita quod minimo tueri potuit, successor eius de integro impendio magno cogitur instaurare; quin frequenter etiam quae domus alii

ingenti sumptu stetit, hanc alius delicato animo contemnit eaque neglecta atque ideo brevi conlapsa aliam alibi impensis non minoribus exstruit. At apud Utopienses compositis rebus omnibus et constituta re publica rarissime accidit, uti nova conlocandis aedibus area deligatur; et non modo remedium celeriter praesentibus vitiis adhibetur, sed etiam imminentibus occurritur. Ita fit, ut minimo labore diutissime perdurent aedificia et id genus opifices vix habeant interdum quod agant, nisi quod materiam dolare domi et lapides interim quadrare atque aptare iubentur, quo, si quod opus accidat, maturius possit exsurgere. Iam in vestibus vide, quam pauci operis egeant. Primum dum in opere sunt, corio neglectim aut pellibus amiciuntur, quae in septennium durent. Cum procedunt in publicum, superinduunt chlamydem vestem, quae rudiores illas vestes contegat; eius per totam insulam unus color est atque is nativus. Itaque lanei panni non modo multo minus quam usquam alibi sufficit, verum is ipse quoque multo minoris impendii est. At lini minor est labor eoque usus crebrior; sed in lineo solus candor, in laneo sola mundities conspicitur, nullum tenuioris fili pretium est. Itaque fit, ut, cum alibi nusquam uni homini quattuor aut quinque togae laneae diversis coloribus ac totidem sericiae tunicae sufficiant, delicatioribus paulo ne decem quidem, ibi una quisque contentus sit plerumque in biennium.

Quippe nec causa est ulla, cur plures adfectet, quas consecutus neque adversus frigus esset munitior neque vestitu videretur vel pilo cultior. Quamobrem, cum et omnes utilibus sese artibus exerceant et ipsarum etiam opera pauciora sufficiant, fit nimirum, ut abundante rerum omnium copia interdum in reficiendas, si quae detritae sunt, vias publicas immensam multitudinem educant, persaepe etiam, cum nec talis cuiuspiam operis usus occurrat, pauciores horas operandi publice denuntient: neque enim supervacaneo labore cives invitos exercent magistratus, quandoquidem eius rei publicae institutio hunc unum scopum in primis respicit, ut, quoad per publicas necessitates licet, quam plurimum temporis ab servitio corporis ad animi libertatem cultumque civibus universis adseratur. In eo enim sitam vitae felicitatem putant.

THOMAE MORI EPIGRAMMATA

Varia esse hominum gentiumque iudicia de eo, quod acumen habere dicitur, nemo non nescit. Adhinnit iis colonus, quae viro moribus culto risum vel minimum vix movent. Sed et alia ridet Britannus, alia Gallus, in aliis placuit sibi olim Graecus, in aliis Romanus . Non respuerunt Graeci et Romani illud dictorum ingeniosorum et aculeatorum genus, quod ad nomen aliquod vel syllabas alludit

(Galli vocant calembours), ut ex illo Ciceronis: *Verres est verres.* Sed nostra aetate vix placet. Sed de gustibus, ut aiunt, non est disputandum.

Non omnia forte, quae in Palaestra sequentur, omnibus placebunt, sed placebunt plurima, eorumque, qui legant, animos a studiis saepe remittent, risumque nonnumquam elicient placidum. At sunt etiam haud pauca, quae nobis iuvenibus tum ad iudicandi vim acuendam, tum ad interpretationis artem regendam proponi possunt. Utere itaque iocorum hac serie, lector amice: quae bona sunt, lauda reice pauca — falsa refelle. Rogo, ne sperne haec: „Saepe in modica res nuce magna latet!“

Iam nonnulla legite ioca ac sales mire festivos *Thomae Mori:* In Astrologum quendam, aetatis huius praecipuum decus, quia aliis videri voluerit vates veredicus, et tamen uxoris adulterium, cum hoc potissimum tangeret rem suam, ex astrorum inspectione non poterat deprehendere, clarissimi Mori ita habet:

Astra tibi aethereo pandunt sese omnia vati,
  Omnibus et quae sint fata futura monent.
Omnibus ast uxor, quod se tua publicat, id te
  Astra, licet videant omnia, nulla monent.

In mendicum, qui se pro medico gesserat, aptissime ad superiorem modum iocatur Morus. Nec quīsquam illi decessit ex eo ioco, sed auctus est etiam una littera (nempe *n*):

Tu te fers M e d i c u m, nos te plus esse fatemur:
  Una tibi plus est littera, quam M e d i c o.

Eodem auctore, Medicinae ad tollendos foetores anhelitus provenientes a cibis quibusdam:

Sectile ne taetros porrum tibi spiret odores,
  Protinus a porro fac mihi cepe vores.
Denuo foetorem si vis depellere cepe,
  Hoc facile efficient allia mansa tibi.
Spiritus at si post etiam gravis allia, restat,
  Aut nihil aut tantum tollere menta potest.

Graecis victoria dicitur Νίκη populus, ex quibus utrisque apparet compositum esse nomen Nicolaus, quasi dicas victorem populi, quo dum se medicus quidem indoctus, fusis aliquot languentium agminibus, appellaret. Morus ut est ingenio peramoeno, rectius ait in iugulatorem medicum, id nominis quam in quantavis potentia praeditum principem quadrare, hac ratione: Quia principibus aliquando rebellare videantur, qui in deditionem prius sunt recepti. At si quos semel compescuit medicus, perpetuo iacent victi. Mori carmen exstat in hunc modum:

In Nicolaum Paulum medicum.

Nunc video haud rerum tantum, sed et ipsa viro-
Nomina, non temere sed ratione dari. [rum
Nicolaus nomen medici est, qui convenit? inquis,
Hoc potius nomen debuit esse ducis.
Dux populos armis vincit, sed et iste venenis
Et populum, et fortes sternit ubique duces.
Saepe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat
Huic medico, vero est nomine Nicolaus.

In Britannum Gallica omnia infeliciter imitantem, exstat iocus festivus iuxta ac urbanus, Thomae Mori. Qui cum praeco abunde satis magnus ipse sit sibi, carmen sufficit adscribere.

In Anglum, Gallicae linguae affectatorem.

Amicus et sodalis est Lalus mihi,
Britanniaque natus, altusque insula,
Et cum Britannos Galliae cultoribus,
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitque cuncta Gallica
Toga superbit ambulans in Gallica,
Amatque multum Gallicas lacernulas,
Zona, lacello, atque ense gaudet Gallico
Filtro, bireto, pileoque Gallico
Et calceis et subligare Gallico,
Totoque denique apparatu Gallico,

Nam et unum habet ministrum, eumque Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia,
Tractare quiret plus (opinor) Gallice,
Stipendii nihil dat, atque id Gallice,
Vestitque tristis pannulis, et Gallice hoc,
Alit cibo parvo, et male, idque Gallice,
Labore multo exercet atque hoc Gallice,
Pugnisque crebro pulsat, idque Gallice,
In coetu et in via et foro et frequentia
Rixatur, obiurgatque, semper Gallice,
Quid? Gallice illud? imo semigallice
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quam Latinum Psittacus.
Crescit tamen sibique nimirum placet,
Verbis tribus si quid loquatur Gallicis
Aut Gallicis si quid nequit vocabulis
Conatur id, verbis licet non Gallicis,
Sonoque saltem personare Gallico
Palato hiante acutulo quodam sono,
Et feminae instar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabae,
Balbutiens videlicet suaviter
Pressis quibusdam litteris, Galli quibus
Ineptientes abstinent, nihil secus
Quam vulpe Gallus, rupilusque navita,
Sic ergo linguam ille et Latinam Gallice,
Et Gallice linguam sonat Britannicam,
Et Gallice linguam refert Lombardicam,
Et Gallice linguam refert Hispanicam,
Et Gallice linguam sonat Germanicam,

Et Gallice omnem, praeter unam Gallicam,
Nam Gallicam solam sonat Britannice.
At quisquis insula satus Britannica
Sic patriam insolens fastidiet suam,
Ut more simiae laboret fingere.
Et aemulari Gallicas ineptias,
Et amne Gallo ego hunc opinor ebrium
Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur
Sic dii iubete, fiat ex Gallo capus!

De nautis eiicientibus monachum in tempestate, cui fuerant confessi eodem, Thoma Moro auctore:

Cum tumida horrisonis insurgeret unda procellis
Et maris in lassam ferueret ira ratem,
Relligio timidis illabitur anxia nautis
„Heu parat — exclamant — hoc mala vita malum!“
Vectores inter monachus fuit, huius in aurem
Se properant vitiis exonerare suis.
Ast ubi senserunt nihilo, sic mitius aequor,
Sed rapido puppim vix superesse freto
„Quid miri est — ait unus — aqua si vix ratis exstat,
Nostrorum scelerum pondere pressa adhuc.
Quin monachum hunc, in quem culpas exhausimus
Eicite et secum hinc crimina nostra ferat!“ [omnes
Dicta probant, rapiuntque virum, simul in mare tor-
Et lintrem levius quam prius isse ferunt. [quent,
Hinc hinc quam gravis est peccati sarcina disce,
Cuius non potuit pondera ferre ratis.

II. VER SACRUM

AD HORATIUM.

LXV a. Chr. n. — MCMXXXV p. Chr. n.

Qui fit magister, maxima qui sui
invenit illa et vaticinatus est
nobis, Horati, quem vocamus
ingenuum Venusinum olorem,

quod intuendum pro ratione sit,
ut neglegamus temporibus quoque his,
exemplar ipse quod dedisti?
Et requies imitator escit,

prudentiam qui rectam animos docet
vitaeque laetos atque frui bene
bonis, peritus ipse rerum,
et quoque cedere temperantes.

Tam verus et simplex patriaeque amans,
mansurus una liber, homo pius,
humanus et virtute tanta
duxque potest et amicus esse.

I. STERNBACH

ADAMI MICKIEWICZ, THADDAEIDOS I

Palaestra num. 6 egregiam Rudolphi Nowowiejski versionem *Thaddaeidos* publici fecit iuris: hic aliam eiusdem carminis damus editionem Latinam, quae sit testimonio complures esse philologos qui novum Latium Poloniae nostrae studeant inferre.

Patria consimilis, Lithuania cara, saluti!
Quanti sis mihi nunc, cognoverit is modo, qui te
perdidit. En ego te video, faciemque decoram,
describoque: dolor desideriumque tenet me.
Virgo, quae Montem Clarum, Sanctissima, servas!
Acribus in Portis fulges, Nova Castra tueris
defendisque domos, arcem populumque fidelem!
Sicut divino vitam mihi restituisti
numine, mi puero, qui traditus a lacrimanti
matre Tuae fidei mea mortua lumina tollo;
(protinus ire queo Tua limina visere sacra
proque anima grates Tibi dicere reddita in auras);—
sic patriam nobis divino numine reddas!...
Quo desiderio flagrantia pectora transfer
in colles silva vestitaque gramine prata,
caeruleoque Chrono patuloque patentia, lata;
illaque, quae variis sunt picta coloribus, arva
tritico inaurata et secali argentata iucundo;
flava ubi sunt raphanistra, ubi candida fagulopyra,
qua serpylla rubent ardentia virginis igne,
cunctaque marginibus circum, viridi quasi vitta,

cincta, quibus raras placidasque piros posuere.
Villa erat in ripa rivi, posita intus in arvis,
nobilis, editiore loco betulisque decoro,
ex ligno, substructa tamen, longe tibi candens,
tanto candidior, quod frondibus undique cincta
pullis populeisque tegentibus a boreae vi.
Aedes exiguae, purae tamen; horreum abundans
frumento magnumque; iacent, quos non capit intus,
propter acervi tres: ex quo cognoscere possis
quam multis circum loca frugibus esse beata...
Cernitur ex multis maniplis in limite recto,
qui crebri lucent ultro citro velunt astra;
ex multis ferris ad aranda novalia natis
aggeris ingentis, cultissima, propria villae:
hos habitare locis locupletibus atque decoris.
Portaque passa, patens, tibi nuntiat esse celebrem,
quae vocat hospitio, quae comiter accipit omnes.
Tunc ipsum vertit vectus bigis adulescens
circumita area equos ad porticulam aedis amicae.
Hic curru descendit; equi soli, resoluti,
ad portam per se contendunt carpere gramen.
Aedis inanis erat: nam claustris ianua clausa,
claustraque paxillo transfixa. Sed advena clausum
ipse recludit, iamque salutatum introit aedem.
Et laetus properans, quia longe erat aedibus hisce
atque din studiis (perfectis iam) dedit annos,
molliter inspicit illa pie penetralia prisca
nota sibi puero se delectare solenti

vasibus his ipsis, quae tum videt, his tegimentis;
sed minus ampla, venusta videt, quam viserat olim.
Et, quae pendebant, has effigies videt ipsas.
Costius hic manibus tenet ensem cracotogatus
sublatis oculis, vultu fortique pioque;
talis erat, cum iurabat se sive tyrannos
hoc gladio patria pulsurum, seu moriturum
ipsum pro patria. Sedet hic cum veste Polona
atque tenens acie conversum in pectora cultrum
Reitanus patria tristissimus arte subacta;
et iacet ante oculos Phaedon et Vita Catonis.
Illic Iasinius, pulcher tristisque adulescens:
iuxta Corsacus, fidissimus eius amicus,
stant in fronte Pragae Russorum in stragibus altis,
et caedunt hostes, cum iam Praga cingitur igne.
Atque adeo veteres stantesque cubilis in arca
horas ad limen cognoscit suave sonantes;
exsultansque trahit filum pueriliter aeris,
Dombrovii veteres ut carminis audiat ictus.

vertit I. STERNBACH

SŁOWACKI, ANHELLI VII 400—438

Et latromantis: en — inquit — iam mirabilia non ostendemus, nec Dei potentiam, quae in nobis est, sed plorabimus; ad eos enim venimus, qui solis lucem ignorant.

Neque doctrina instruendi sunt, nam plura in rebus adversis didicerant; neque spe eos implebimus, quia non credent. In decreto, quo damnati sunt, scriptum erat: in saecula! . . . .

Ecce Sybiri fodinae!

Caute gradere, dormientium enim corporibus terra haec composita est! Audisne? ecce vehementer spirant, nonnulli etiam eorum ingemiscunt et per somnum loquuntur:

Alter de matre sua, alter de sororibus et fratribus, alius autem de domo sua et de ea, quam corde dilexit, et de novalium arvis, ubi eum frumenti aristae ut dominum suum salutabant, et nunc per somnum beati sunt, sed excitabuntur...

Scelesti congemunt in aliis fodinis, sed haec patriae filiorum modo et silentii plenum sepulchrum est. Tristis est tinnitus sonantis hic catenae et in lacunaribus voces variae resonant, et una vox dicens: paenitet me vestri!

Dum Iatromantis miseretur, custodes intraverunt et milites cum lampadibus, ad laborem dormientes excitaturi.

Surrexerunt ergo omnes de terra et excitati sunt, et ovibus similes capitibus inclinatis procedebant praeter unum, qui non se levavit, quia in somno de vita decessit.


Adiit igitur Anhelli ad eos, qui ad laborem cum malleis ibant, et unum ex eis voce miti rogavit, quis mortuus hic fuisset aut quonam morbo affectus obiisset.

Et respondit ei homo pallidus et qui carcere tenetur: Sacerdos fuerat, quem quaeris, notus mihi: uxori meae liberisque in patria confitentibus aurem praebebat.

Et cum bellum venisset, equum conscendit, crucem in manu et pedes nudos; cum autem tela ignea mitterentur, ante acies stabat, exclamans: pro patria!... pro patria!

Et Episcopus cum arcessivit et carnificibus edidit, sed in foro urbis consecrationem primum in eo delevit, et pedum episcopale e manilus misit et animus eum dereliquit.

vertit MIECZYSLAUS BROŻEK



Pater et Filii.

Moriens Pater lecto assidentes filios
Admonuit, auri maximam se in vineâ
Vim condidisse; proinde post obitum suum
Id excavato penitus eruerent solo,
Haec ille: sed mox liberis rogantibus
Uti ederet, quâ parte tandem vineae
Aurum lateret; nil locutus amplius,
Desiderati liquit incertos loci.
Illi, peracto protinus busto patris,
Versare duris vineam ligonibus,

Et hic et illic scrobibus effossis humum
Coepere glebas in minutas frangere:
Frustra: nil enim fuerat auri conditum:
Illo subactâ sed labore vineâ,
Uberrima ditavit hos vindemia.
Tum primus horum: Hic ille nimirum, refert,
Thesaurus est, quem sedulus nobis pater.

1. Aenigma Sphingos, cuius solutione ab Oedipode inventa Sphinx de rupe se praecipitavit:

Quae mane incedit pedibus natura quaternis,
Luce bipes media, sole cadente tripes?

2. Quid hoc:

Quis sum, nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

3. Quid hoc:

Nullos edit, nisi mota, sonos.

4. Grammaticum:

Dimidium sphaerae, sphaeram cum principe Romae
A te poscit homo, poscit et ipse Deus.

5. Quid hoc est:

Littera me pavit, nec quid sit littera novi:
In libris vixi, nec sum studiosior inde.

Pro aenigmatis solutis li'ri pr ponuntur pro praemio.

IMPRESSUM IN TY. OGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
Editor: RICARDUS GANSZYNIEC, Leopoli, in Universitate Ioanneo-Casimirana
Moderatores: Bronislaus Ilkow et Ioannes Kołtowski, Leopoli, in Universitate

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem — Kwiecień — PKO Warszawa 154.894